

CONCLVSIONES THEOLOGICÆ,
JUXTA SUBT. DOCT. DOCTRINAM, IN I. DIST. 5.
quæst. 1. & 11. quæst. 1. Et in 2. dist. 29. quæst. v.
depromptæ.

Q. P. D.
*Verum sit de Fide, quod BENEDICTUS XIII. est verus Papa, caput
Ecclesie, & Christi Vicarius?*

PRIMA CONCLUSIO.

*Consensio populorum, autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, & charitate aueta, & ve-
tustate firmata, successio Pontificum à Petro vsque ad Benedictum XIII. nomen Catho-
lica, quod nomen nulla secta fuerit sortita: Hæc quatuor, aiebat D. August. lib. 9.
epist. 95. me detinent in Ecclesia. Ex quo inferitur, Ecclesiam Romanam esse veram Eccle-
siam Dei, in qua est salus, & vita totius generis humani: Sectas autem contrarias esse falsas
Ecclesias, in quibus est perditio, & damnatio. Omnes notæ veræ Ecclesie reperiuntur in
Ecclesia Romana. Est vna, vnitæ corporis mystici, & capitis vnitæ. Est Sancta, licet ma-
los bonis permixtos, & reprobos prædestinatis comprehendat. Est Catholica; omnia enim
tempora, loca, & nationes complectitur: vt sit igitur Catholica, esse in omnibus hominibus
totius mundi non requiritur. Est denique Apostolica; siquidem ab Apostolis initium doctri-
næ, & Fidei Christi accepit.*

SECUNDA.

*Crede in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam: ait Apostolorum Symbolum.
Cum hoc tamen stat Ecclesiam Dei non solum visibilem fuisse, sed nunc visibilem in
terris existere, visibilitate corporis, & capitis visibilitate. An autem catechumeni, &
hæretici sint extra Ecclesiam, est aliqua difficultas: Et dicimus, Catechumenos non esse in
Ecclesia Dei: possunt tamen salutem consequi. Idem asserimus de hæreticis, qui in re fue-
runt iustitiam baptisimi vnda abluti: Hæretici autem occulti, qui sola externa confessione
fidei ceteris fidelibus conjuncti sunt, & exercent exterius omnia, quæ reliqui fideles, non
sunt omnino extra Ecclesiam Dei. Multi sunt intra Ecclesiam, qui lupi rapaces sunt; &
plures sunt extra, qui mansueti agni sunt. Schismatici non sunt in Ecclesia; & hoc, licet pos-
set dari Schismaticus, qui formaliter non sit hæreticus. Excommunicati sunt etiam extra.*

TERTIA.

*Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. 1. ad Timot. 3. v. 15. Ecclesia igitur
Romana cum Petro, ejusque successoribus est regula animata, iudexque infallibilis
in controversijs fidei, & morum. Tanquam oracula divina habenda sunt Decreta Pon-
tificia. Magna veneratione admittenda, & observanda sunt. Decretum novum S. P. N. Be-
nedicti XIII. Circa auxilium per se, & ab intrinseco efficax, quod laudabiliter in Schola Tho-
mistarum defenditur, non fuit vt à P. Dominicano, sed vt à Summo Pontifice, seu ex Cathe-
dra editum. Hæc sententia virtute talis Decreti est Orthodoxa, hoc est, sana, & recta, & nec
probabiliter inter propositiones lansenij, & Quænelij ab Ecclesia damnatas computabilis.
Non autem transgreditur terminos veræ probabilitatis. Iesuitarum sententia ingeniosissima
circa auxilium indifferens æquè probabilis manet. Scotistarum vero subtilis sententia cir-
ca auxilium moraliter infallibiliter efficax vtræque probabilior remanet.*

QUARTA.

*Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam. Matth. 16. v. 18. Tria hic
dubitari solent. 1. An sit de Fide, quod debeat dari Papa in Ecclesia Dei? 2. An sit de
Fide, quod verus Papa sit Christi Vicarius? 3. Utrum hic numero Pontifex Benedictus
XIII. Canonicè electus sit verus Papa, caput Ecclesie, & Vicarius Christi? Circa 1. resp. af-
firmativè, ex Concil. Constantien. contra art. 29. Ioannis Hus. Circa 2. etiam est certa pars
affirmativa. Circa 3. est major difficultas, variantque Doctores Catholici. Sit conclusio nos-
tra: De Fide est, quod hic numero Pontifex Benedictus XIII. Canonicè electus, est verus Papa, Ca-
put Ecclesie, & Christi Vicarius. An autem de Fide sit propositio reflexa, dubium speciale est:
Nos autem resolutionem affirmativam defensamus. Supremo enim capiti Ecclesie, vtpotè
toto corde, & spirita subjecti, & subditi Sedis Apostolicæ, totum quantum possumus, vt Deo
visibili, concedimus.*

Q. P. R. A. Conclusio.
*Defenduntur in hoc Regali S. P. N. Francisci Conventu. Die 2. Decembris, Ann. 1727.
Manè hora 8. Vesperè autem 2.*

AVSA



